

QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis, nonâ Februarii.

M. PETRO YON, Doctore Medico, Præside.

An in asthmatis paroxysmo purgandum?

I.

ASTHMATIS nomine nihil aliud intelligitur quam frequens & anhelosa ἀπυρετὸς, ut plurimum, cum summa thoracis contentione respiratio. Horrenda sanè species morbi, qui vel immanis & subitus ægrotantem atrociter suffocat, vel contumax, ac lentus gravissimarum affectionum sementem facit. Infantibus lethale malum asthma est, quoties hecticum, adultis periculosum. Hoc affectu pulmo (qui aliquando insons) aliarum partium scelera sæpissimè luit: nimirum si conflictetur genus nervosum, illico comprimitur trachea arteria & pulmonis bronchia convelluntur; si lien uterusve insaniant, si sanguis depauperatus segnius in vasis moveatur; hinc tenellum pulmonis viscus miserè discerpitur, irrito languescentis naturæ conamine; inde hanc ἀτονίαν patiuntur lobulorum vesiculæ, ut aërem nec emittant effœtum, nec, ut par est, recentem admittant. Latet in sanguine tanti mali labes. Sanguis pessimis & evectis nimium fermentis imbutus serosam exprimit colluviem, tum suboritur enormis utriusque fermentatio, respirationis instrumenta brevi suffocatura.

II.

SANORUM in ventriculo coctionis opifex acidus & volatilis liquor, in asthmaticis degener in crudum acorem ac seri colluviem alimenta convertit. Eam ob rem cruda vomunt πνευματώδεις, dejiciunt aquosa, & importuno fluxu salivæ urinæve crudioris labuntur in hydropem. Quot excruciantur syphilide, scorbuticis affectibus, hystericis, hyppochondriacis, epilepticis, tot miseranda sunt asthmatis mancipia: hujus enim non infrequenter sentiunt imperium. Roridus humor jugiter elaboratur in vasis, hunc intus subigente fermento: sic non parvi refert, æqua sit an iniqua molecularum quibus ille constet contemperatio. Serosæ, salinæ, ceteræque sanguinis particulæ æquabili motu cieantur, ne præpostera surgat turgescentia, quæ vitæ lares obruat. Sanguis asthmaticorum particulis cujuscumque naturæ, salso-acribus, acidis, volatilibus, fixisque saturatus, nunc ebullit impensè fluidus; nunc præ lentore consistit, serique patitur deliquium; nunc explosivis abundè fœtus, nunc spasmodicis, modo splenicum, modo uterinum fermentum exagitat; nonnumquam nervoso infensus generi, respirationis organa diris exercet symptomatis. Sic idem sanguis pronus ad orgasmum in violentos motus abripitur levissimâ de causâ, tum pulmonares comprimit vesiculas, quæ molles cum sint & flaccidæ facilè illi debent obtemperare. Igitur ne mireris asthmaticum suffocari paroxysmi vehementiâ, quam intempestivus catharseos usus excitaverit.

III.

SUADET purgationis necessitatem sapiens natura. Tot emunctoria cur destinasset alimentorum reliquiis; cur tot aperuisset vias, quibus partes expurgarentur? At quam operosum sana corpora, quam lubricum quæ sunt infirma purgare? Solus id assequitur qui noxios è vasis liquores educit cum εὐφορία. Quas excretiones incohat natura, has ille perficit ope medicaminis. Novit corporis ἐνεργίαν qui scit ferocientibus succis frænos injicere, mitificatis remittere. Secus in asthmatis paroxysmo speraveris à potione cathartica. Irritat hæc partes simul & humores, quod retinendum foras eductura, retentura quod evacuandum. Levis aut vehemens ἄνω & Κάτω subit intimos sanguinis & spirituum recessus, hunc & illos vitiatura: quæ secernit vel me-

lancholiam referunt, vel æruginosam bilem mentiuntur. Porro immatura purgatio serum utile cruoris vehiculum non raro exhaurit; huic tamen negotioso medentis præsidio. Suæ sunt in morbis curandis opportunitates; sunt & difficultates, & ex locis & ex humoribus purgandis repetendæ. Sanguis serosâ scatens eluvie, morbidoque imprægnatus fermento, asthma fovet, paroxysmum provocaturus: haud absimilis vino fermentescenti, quâvis de causâ turgescit, parit ἀταξίας spirituum: hunc ita fervidum aut ferocientem refrænare purgantibus quis attentaret? is equo currenti calcar admoveret imprudenter: quin & intenderet catharticorum stimulis seri jam ebullientis effervescentiam.

IV.

SERI turgescentiam parit in asthmaticis humorum confusio, aut viarum interceptio. Sed hos non urget remedio qui cum Hyppocrate ac ratione consentit. Contendat potissimum Medicus inordinatos fermentationum motus compescere, quæ ducenda veniunt segregare coquendo, aut præcipitando: humores reddat fluidos & obtemperantes, laxet vias quibus educendi sunt. Sordes egerunt intestina peristaltici motûs & respirationis ope; sed hæc organa acrius lacessit purgantium violentia, & animatas spirituum copias adoritur, insolentem sanguinis effervescentiam concitatura: hinc non sine tumultu obsequuntur humores expurgandi. In asthmatis paroxysmo velut in peracutis summa statim sunt omnia, succi ferocientes ebulliunt, vasa pectoris ad ruptionem intenduntur, ἄνω vergit impetus omnis præcordiorum & sanguinis, natura prorsus oppressa gemit: num deleteria, num tumultuosa purgantium vis in auxilium vocabitur, quum tam dira premit respirandi difficultas? serosæ colluviei comes est, quæ contraxit ἕξιν, invaletudo. Experientia cum ratione suadet seri purgationem, loco, tempore celebrandam. Quis in epilepticis accessionibus, quis in hystericis impunè propinavit catharticum? iis in affectibus læsa per consensum respiratio si patiatur ab intempestiva potione; in asthmatis insultu dum pulmones obruuntur ab humorum ferocia, dum latet in pectore tota mali labes, si cathartico moveas succos ibi turgescentes, spiramenta animæ aliundè languescentis cito suffocabis.

V.

ATTENDAT itaque Medicus ad paroxyſmum, ſicut ad cauſam aſthmatis; hæc non eſt ſanguis effœtus haud capax naturalis effervefcentiæ. Is quidem ſero dilutus nimio provocatur identidem ad fuſionum ἀμετρίας: ſed tum fit acrius fermentum mali parens, fit etiam catharticum pejus colliquati ſanguinis irritamentum. Si fortè ſerum pharmaco ceſſerit; ſalinæ moleculæ tunc minus dilutæ ſui fiunt juris, inſolentes fermentationum modos excitaturæ. Sic ſanguis magis effervefcens gravius opprimit pulmonum lobulos, obruit & ferocior turba ſpirituum; quin & aliquando fugit è vaſis redundans cruor. Tot occurrat incommodis φλεβοτομία, ingraveſcente vel vigente paroxyſmo repetenda: veniant in auxilium quæ ſalium, quæ ſulphurum caſtigant iniquas combinationes, quæ morboſa corrigunt fermenta, ἀνωμαλίας ſeri, δυσκρασίας vivici laticis. In declinatione tutiùs oggeres medicamentum, quo debellatâ morbi causâ ſpontè fluent humores, ἄνω, vel Κάτω ſeceſſuri. In pleriſque morbis ſi coctionem materiæ peccantis expectaveris, vacuationi quam tentabis reſpondebit natura, quæ vigente paroxyſmo ſui ſemper impotens.

Non ergo in aſthmatis paroxyſmo purgandum.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ambroſius-Nicolaus Chemineau.	*M. Michael Sauvalle.*	*M. Guido Creſcentius Fagon, Primarius Chriſtianiſſimi Regis, Medicus, & Archiatrorum comes.*
M. Joannes Gelly.	*M. Ludovicus Piquenot de Dragueville.*	*M. Jacobus de Bourget.*
M. Joannes-Baptiſta-Gabriel Freſſan.	*M. Claudius Burlet. Scholæ Profeſſor.*	*M. Nicolaus Rainſſant.*

Proponebat Pariſiis PETRUS JACQUEMIER, à Sancto Felice, Diœceſis Toloſanæ, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.